

CAPUT OCTAVUM.

De Prophetia.

Prophetia est *prædictio futuri alicujus eventū*, *sive liberi*, *sive necessarii*, *qui causis naturalibus prævideri non potest*. 1º Dicitur *prædictio futuri eventū*, ut secernatur à declarationibus eventuum præteriorum, quae potius sunt revelationes quām prophetiae. Evidem impius Satelles, postquām colapho Christum cœcidisset, ait: *Prophetiza nobis, Christe, quis te percussit*; verūm hæc verba non probant prophetiam esse de præteritis, sed solum significant: *revela nobis quis te percussit*. Vox illa *prophetia*, latinè *prædictio*, significat illam tantum versari circè futura. Omnes homines insuper, nomine prophetiae intelligunt prædictionem eventū futuri. 2º Dicitur *eventū sive liberi sive necessarii*, quia versari potest non solum circè eventum liberum, sed etiam circè eventum necessarium qui naturaliter prævideri non possit, v. g. circè subitanum terræ motum, urbis subversionem de quā loquitur Jonas. 5º Dicitur *eventū qui causis naturalibus prævideri non potest*, ut secernatur à cognitionibus humanis.

Hic agitur utrūm religio prophetiis innixa, sit vera et divina; utrūm fides adhibenda sit viro qui sese dicit à Deo missum, quique suam missionem confirmat prophetiis ad eventum perductis; utrūm, uno verbo, religionis judaicæ et christianæ divinitas prophetiis monstrari possit (posito quod Christus et Moïses illarum

revelationum autores, prophetiis suam missionem confirmaverint).

Porrò, ut prophetia vim habeat probandi, fatemur quatuor conditiones esse requisitas. 1º. Certò constare debet illam fuisse antè eventum editam. 2º. Illam fuisse adimpletam. 5º. Eventum scientiā naturali non potuisse prævideri. 4º. Hunc eventum fortuito casu non esse prophetiae consentaneum.

Jam verò, hic præcisè non inquiritur utrūm Christus et Moïses prophetias quatuor hisce characteribus insignitas ediderint. Id quidem certissimum est, et deinceps à nobis demonstrabitur. Attamen in præsenti illud nondum à nobis expenditur. Quæstio est igitur utrūm religio prophetiis quadruplici prædicto charactere donatis confirmata, vera sit atque divina.

PROPOSITIO.

Religio prophetiis firmata quadruplici prædicto charactere insignitis, vera est atque divina; seu, quod idem est, religio mosaica et christiana divina est, si prophetiis confirmetur.

PROB. 1º. Prophetica potestas superat vires humanas, ut constat ex ipsius definitione; est miraculi species, seu potius verum insigne miraculum: atqui, ex dictis, religio miraculis confirmata, si conditionibus requisitis insigniantur, eo ipso vera ac divina demonstratur; ergo, etc.

2º. Si omnis prophetica facultas à Deo sit, sanè re-

ligio prophetis firmata vera est et divina ; aliòquin Deus errorem confirmaret : atqui omnis propheta facultas à Deo est. Illud constat ex consensu populorum unanimi. Nam omnes gentes sua habuerunt oracula , vera vel fallacia , suos vates qui sese à diis inspiratos gloriabantur. Ut quid autem tot homines à diis sibi futura revelari populis persuadere conati sunt ? Ut quid populi futura vatibus à diis manifestari crediderunt , nisi quia omnes cognitionem futurorum Deo soli esse propriam , facultatemque propheticam ab illo esse crediderunt ! Insuper , omnes antiqui , ipsique philosophi ethnici (philosophos enim philosophis opponere licet) futurorum cognitionem soli Deo tribuunt. *Mortales*, juxta orphica carmina , *malum venturum noscere non sunt periti*. Ita Hesiodus , Pindarus , Anacreon , Aeschilus , Sophocles , Pacuvius , Horatius , Manilius , Statius quorum textus sive græci , sive latini , legi possunt apud Huetium demonstr. Evang. axiom. 4. Constat igitur ex omnium gentium ac philosophorum consensu , futurorum ac præsertim liberorum , seu contingentium prævisionem soli Deo , non hominibus , competere.

5º. Ex consensu Deistarum. Civis Genev. *Emile* , tom. 5, p. 448 , fatetur prophetias vim probandi habere , si quatuor predictis conditionibus insigniantur. Increduli omnes vim prophetiarum infirmant , vel ex eo quod duntaxat post eventum editæ fuerint , vel ex eo quod fortuito casu eventus cum prophetia consonet , vel ex eo quod naturaliter prævideri potuerit , vel ex eo quod demum eventus cum illis predictionibus mi-

nimè concilietur. Nullus verò , quem sciam , affirmavit veram facultatem propheticam à Deo non esse , illamque in predictis circumstantiis vi probandi esse destitutam.

4º. Ab exordio mundi , neque homines , neque alii spiritus quibus est cum hominibus commercium , futura quæ cognitis causis non contineantur prædixerunt , nisi vel fuerint à Deo missi vel afflati. Ne unum quidem exemplum oppositum subministrabunt Deistæ , qui omnia veterum oracula hominum fraudibus tribuunt. Jam verò verisimile est ac multum probabile id quod nunquām ab hominibus , vel aliis spiritibus qui cum hominibus commercium habent , ab exordio mundi factum est , fieri non posse ; igitur præscientia futurorum non est ab hominibus , neque ab aliis spiritibus nobiscum commercium habentibus , sed à Deo solo qui , cùm omnia fecerit , omnia novit.

5º. Vel omnis propheta facultas à Deo solo est , et ab ipso solo hominibus impertitur , vel est insuper ab aliis spiritibus qui cum hominibus commercium habent , v. g. à dæmonibus qui illam hominibus impetrare possunt. Ultimum nunquām dicent Deistæ qui dæmonum existentiam irrident , nec reverà illud in suis scriptis asserunt. Ergo , propheta facultas à solo Deo est , et ab ipso solo hominibus impetriri potest ; ergo religio prophetis firmata divina est.

6º Si dæmones futura cognoscerent et hominibus revelare possent , sanè oraculis paganorum et falsorum numinum sacerdotibus , quibus propagatio idolatriæ cordi erat valde , haec futura certò revelassent : atqui

tamen, notum est oraculorum responsa, saltem ferè semper fuisse ambigua, aequivoca, et redditæ ab illis qui futura certò non cognoscebant. Illud admittitur præsertim à Deistis qui omnia paganorum oracula sacerdotum fraudibus adscribunt. Illud etiam admittitur ab iis qui dæmonibus quasdam partes in oraculis tribuunt, quicque fatentur dæmones futura certò non cognoscentes, vaticibus responsa dubia et aequivoca dictitasse. Ergo, etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJ. 1º. Cùm Vandalus, in multis dissertationibus, et Fontenellius, in lib. cui tit. *Histoire des oracles*, aggressi fuerint comprobare omnia paganorum oracula solis paganorum fraudibus, fallaciis et artibus, neutiquam verò dæmonibus esse tribuenda, eruditus Pater Baltus in lib. cui tit. *Réponse à l'Histoire des oracles de M. de Fontenelle*, invictè demonstravit, etsi permulta, non omnia tamen ethnicorum oracula paganorum fallaciis esse tribuenda, sed dæmones sèpè in hisce vaticiniis partem habuisse. Jam verò theologi et eruditi vulgo doctissimo illi viro consentiunt. Ergo saltem juxta theologos et eruditos ferè omnes, oracula, seu prophetæ possunt esse à dæmonibus, et consequenter ad probandam religionem nullius sunt ponteris.

2º. Deuteron. 15. *Si surrexerit in medio tuī prophetus et prædixerit signum et evenerit quod loculus est, et dixerit tibi, eamus, et sequamur deos*

alienos..... non audies verba prophetæ illius. Ergo vim probandi nullam habet prophetica facultas.

3º. In veteri Testamento Deus usus est *Balaamo*, licet impio, ad prophetandum. Insuper, Matth. 7, multi reprobi dicunt: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Ergo viri perversi prophetare possunt; ergo prophetæ donum non probat aliquem esse à Deo inspiratum vel ab eo missum.

R. Ad primum. Quæcumque sententia defendatur, valet argumentum ex prophetiis deductum. 4º. Quidem, si cum Vandalo, Fontenello, Jaclotio, et paucis aliis dicatur dæmones in paganorum oraculis nullas partes habuisse, sed hæc omnia, totamque divinationis artem paganorum fraudibus assignari debere, tunc liquet argumentum ex prophetiis deductum suam vim servare totam; siquidem in illa sententia dæmones futura non prævident, sed solus Deus; consequenter tota facultas prophetica à Deo est. Cùm itaque, ut modò diximus, Deistæ omnes hanc sententiam amplectantur, nec aliam, si suis stent principiis, amplecti possint, manifestè revincuntur.

2º. Firmum stat idem argumentum, etiamsi cum multis aliis et post Patrem Baltum, qui videtur illud contrà Vandalum, Fontenellium, et Anonymum quemdam demonstrasse, dicatur dæmones in paganorum oraculis et divinationibus partes habuisse. Nam reverà, juxta Patrem Baltum et alios hujus sententiæ defensores, dæmones fuerunt plurimorum oraculorum autores, iisque factorum numinum, sacerdotum et mulierum fatidicarum responsa plerumque dictabant;

hos et illas variis modis exagitabant; imò, juxta quosdam patres, mala quorum futuri erant autores prænuntiabant; in uno loco quædam manifestabant in aliis locis jam peracta, et quæ propter distantiam locorum ibi nondum erant cognita; ideoquè stuporem excitabant: reapsè quædam proximè futura suà sagacitatem conjiciebant quibus aliquandò consentiebat eventus. Eo sensu oracula paganorum fuerunt dæmonum opera. Verùm, juxta ipsos, ii erant potestatis diabolice limites. Dæmones ultrà nihil agebant, nec unquam remotissimos eventus, nec longè dissitas imperiorum eversiones, nec præsertim futura contingentia et libera certò prævidebant. Hinc si de futuris rerum varietatibus, imperiorum vicissitudinibus consulerentur, ambagibus, responsisque fallacibus et æquivocis, prout omnes nōrunt, utebantur. Facultas prophetandi futura remotissima quæ naturaliter cognosci non possunt, cognitione certa futurorum et præsertim liberorum est igitur Deo soli propria, ipsique soli competit, ex consensu omnium et in quavis sententia. Nemo fuit hucusquè, nec ipse Deista, qui illud negaverit. Ergo argumentum quod protulimus in medium, valet in qualibet sententia et eruditorum opinione, quam hīc diligenterius perpendere opus non est. In decursu tamen hujus Tractatus de hac disputatione dicemus, et sententiam Balti alteri anteponendam esse ostendemus.

Ex his constat prophetias seorsim à circumstantiis, ex se et per se solas veritatem demonstrare, modò tamen quatuor prædictis conditionibus donentur. Ratio est quia sunt miracula splendida, primi ordinis, quæ

necessariò divina judicantur, et à nullo ente creato, nisi divino spiritu fuerit afflatum, patrata sunt, quæ soli Deo propria sunt, et quæ à dæmonibus, etiamsi quædam prodigia efficere possent (quod non expeditum) nunquam peracta sunt, neque peragentur.

Hic tamen superaddam, licet dæmones quædam futura vaticinari ac certò prædicere possent (quod non arbitror, quodque falsum est ex modò dictis, nec admittitur etiam à Deistis) tamen non ideò debile ac mancum esse argumentum ex prophetiis deductum. In hac enim hypothesi, Deus necessariò concederet medium prophetias suas à diabolicis secernendi; quemadmodum, si dæmones miracula efficere possint, Deus semper suppeditabit media cognoscendi quænam sint divina. Undè, in ea hypothesi in qua dæmones quædam futura certò prævidere possent, quæcumque delibavimus, ubi de signis disseruimus quibus miracula divina, ab aliis, si sint possibilia, secernantur, de prophetiis dicenda sunt.

R. Ad secundum. Vide ea quæ jam diximus de illo textu in quæstione præcedenti. Quantum tamen ad præsentem questionem et ad facultatem propheticam attinet ille textus, respondemus et aliis responsis jam allatis addimus Moïsen forsan loqui de propheta qui fuit quidem à Deo inspiratus, et cuius consequenter prophetiæ impleri debuerunt; sed fieri potest ut vir ille, qui antea yates erat sacer divinoque afflatus spiritu, deinceps subvertatur et alios subvertere conetur. Itaque Moïses præmonet ut israëlite ipsum non sequantur, monet meram esse tentationem quam Deus

permittit ut probentur. Non dicit Moïses prophetias à seductoribus afferendas esse in confirmationem erroris; non dicit illas prophetias eo tempore edendas esse, quo proponitur error. Igitur nihil contrà nos inferri potest, qui non diffitemur verum prophetam posse subverti deinceps, et alios ad cultum impium sollicitare, tuncque non esse audiendum, sed fugiendum.

Quæcumque interpretatio admittatur, certum est Moïsen ibi non significare veram prophetiam posse afferri in confirmationem erroris, sioque facultatem propheticam esse signum æquivocum, minimèque ad secernendam Dei doctrinam à perversis dæmonum erroribus idoneum. Nam paulò post Deuteron. 18. v. 21 et 22. propheticam facultatem afferit ut signum quo Deum esse locutum possit intelligi: *Quod si, inquit, tacitâ cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* Isaías et Jeremias, qui sanè à doctrina Moïsis non desciverunt, idem ajunt non minus dilucidè. Isaías 41. *Annuntiate que ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Jeremias, cap. 28. sic habet: *Propheta qui vaticinatus est pacem, cùm venerit verbum ejus, scietur propheta quem misit Deus.* Ergo, vigente lege mosaicâ, prophetie veræ semper habitæ sunt ut signa quibus verbum Dei à falsis deceptorum doctrinis secerneretur; consequenter Moïsis verba non significant propheticam

facultatem posse dæmonibus et impostoribus competere, aut esse signum æquivocum.

His omnibus addo, etiam in hypothesi in qua fraudulenti viri à dæmonibus inspirati possent veras edere prophetias, non ideò tamen nutare argumentum ex prophetiis desumptum. Nam in hac hypothesi forent media secernendi divinas prophetias ab aliis, ut jam diximus. Sie in re ipsa de qua loquitur Moïses in textu objecto, cognosceretur falsum esse prophetam, quia doctrinam annuntiat manifestè absurdam, et quia plebem ad sequendos deos alienos incitat.

R. Ad tertium. Licet Deus raro prophetiae donum viris malis impertitus fuerit, attamen absolute potest istud ipsis impertiri; potest illis uti ad prænuntianda quædam hominibus, non quidem falsa, sed vera. Sic Balaamus Messiae adventum prædictit. Jam verò cùm illæ prophetiæ sint à Deo et errorem minimè confirmant, nihil indè quod causæ nostræ noceat, posse concludi perspicuum est.

Quantum ad textum novi Testamenti, quid mirum illos qui prophetarum et miracula ediderunt, deinceps subverti et reprobos fieri? Sanè prophetæ non sunt peccati exsortes; consequenter mali et reprobi possunt evadere. Sed exinde minimè consequitur ipsis anteā non fuisse veros prophetas; non indè consequitur ipsis prophetiis veris et ad eventum perductis errorem confirmasse. Id tamen requisitum esset ut propositio nostra infirmaretur.